



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies  
Meditationibvs illustratæ**

**Paderbornæ, 1697**

S. Joan. Gualbertus Abbas. 12. Iulii.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

*habeo cibum manducare, quem vos nescitis. Quomodo esuris & sitis iustitiam? animas? & pati cum Christo?*

2. *Ehuriunt etiam & sitiunt pauperes. O si scires quis esset qui dicit ad te da mihi bibere dares illi utiq<sup>3</sup>, dixit ad samaritanam sitiens Jesus. Iob. 4. Benignior esses in pauperes si crederes Christum in pauperibus elemosynam suã sitire & esurire. Venite benedicti Patri mei esurivi enim, & dedisti mihi manducare. Quoties epularis? saltem ante fores tuas jacenti & famenti Lazaro da cadentes micæ de superfluis.*

3. *Sitient etiam & esurient in Inferno damnati, nec dabitur illis nisi, Deut. 32. uva fellis & botri amarissimi, fel draconum vinum eorum, & venenum aspidum insanabile. Sic torquebuntur fame impii, pro eo quod sitierunt Sanguinem, vindictam & cladem proximi; &c.*

## S. JOAN. GUALBERTUS A B B A S.

12. Iulii.

*Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet vobis pater vester cœlestis peccata vestra. Matt. cap. 6.*

**E**N vatem, en pauperum Patrem, en Ascetarum Magistrum, miris multis, maximisque illustrem! Nosse vis unde illi artes

artes? semina audi melioris vitæ. Petit JO-  
 ANNES, armigero stipatus, Florentiam Pa-  
 triam Urbem, angusto in calle obviam ha-  
 bet hostem à cognato sanguine calentem.  
 Scilicet in iras animus, in gladium GUAL-  
 BERTUS assurgere, & parricidium certè ho-  
 micidio velle pensare. Quid ageret saxum  
 inter, & aram hostis? Ecce bonum in are-  
 na consilium? ad genua irati descendit, ut-  
 que ignoscat per orantem, è Cruce pro ho-  
 stibus suis Patronum Christum orat. Quid  
 exspectas? vincit brevis, sed fortis eloquen-  
 tia. Iris animum, ferro manum exarmat.  
 Verbo amici discedunt. Sub hæc in ædera  
 sacram JOANNES pergit, & ecce! icon suffi-  
 xi in crucem Christi capite annuens, gratias  
 habet ex suo nomine inimico veniam non ne-  
 ganti. Quid ad ista, ô Pyrrhægenus? vos,  
 inquam, quibus pectus immite plus, quàm  
 æs triplex asperat, jurati hominum, & in  
 homine Dei hostes, & quos hoc unum juvat,  
 non solos perire. Iudice precante, reo non  
 ignoscitis rei? Tantus è Cruce Orator, tot ora  
 vibrans, quot vulnera, non persuadet? lignea  
 movet se imago, vos duratis? Annuit Chri-  
 stus, vos abnuitis? Ite Samsones egregii, &  
 tumultum hosti? sed unâ vobis parate. *Ex SUR.*  
 MED.

*Parcendum Inimicis.*

I. **C**Hristus sapissimè præcipit ut inimicis veniam edemus: oravit pro iis qui eum cruci affixerunt. Sancti imitati sunt: & Deus ipse toties hominum criminibus parcit, quoties ab eo venia petitur, quoties confiteris eadem, & iterum remittit misericors Deus? an non hæc nobis persuadeant debitoribus dimittenda esse quæ in nos peccaverunt? *Amicos diligere omnium est, inimicos autem tantum Christianorum.* Tertull.

2. *Si autem non dimiseritis* (inquit Christus) *hominibus, nec pater vester dimittet vobis;* quid dicis ad hæc tu, qui toties dicis, *dimitte nobis debita nostra sicut & nos dimittimus,* nec dimittis? Sed depositis in speciem armis animum semper retines armatum? Si in speciem tantum pepercerit Deus quid te fiet? quot sunt, & quidem de numero piorum, qui agrè admodum patiuntur pungi se vel levissimè & qui acceptæ injuriæ memoriam retinent sempiternam. Si tibi Deus scriberet in Silice peccata tua; uti tu proximo tuo?

3. *Si enim dimiseritis hominibus peccata eorum dimittet & vobis pater vester cœlestis delicta vestra.* Ita Deus promittit: nunquid ex verbis licet inferre, eum qui ut Christianum decet injurias condonârit, beatum fore? Mercedis dignitas, parcendi æquabit difficultatem. *Oblivisci injuria culmen est bonitatis, pietatis festigium & supremum divinæ Philosophiæ documentum.* Chyfolog.

S. JUSTI